



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Commentarii Tres in Universam Aristotelis Philosophiam

Crespin, François

Brvxellæ, 1652

Dispytatio III. De Genere.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95346](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95346)

cari in *quid*, sit prædicari per modum determinabilis essentialiter, prædicari in *quale quid*, erit prædicari per modum determinativi determinabilis essentialiter; quia prædicari in *quale* est prædicari per modum determinativi, & prædicari in *quid* est prædicari per modum determinabilis essentialiter: id autem dici non potest; quia, cum determinabile essentialiter sit Genus, & determinativum essentialiter Differentia, prædicari in *quale quid* esset prædicari per modum Generis & Differentiæ, quod est aperte falsum, ut patet. Quare, pro meliori explicatione, sit

RESOLUTIO I.

CCLXVI. **D**ico 1^o. prædicari in *quid* est prædicari essentialiter, sive per concretum, quod secundum formam, est de essentia ejus, de quo prædicatur; ita scilicet, ut hoc sine illo nec esse, nec concipi possit.

CCLXVII. Probatur rejectione aliarum definitionum & explicationum, & hujus facilitate ac claritate, ergo, &c.

RESOLUTIO II.

CCLXVIII. **D**ico 2^o. prædicari in *quale* est prædicari accidentaliter, sive per prædicatum, quod secundum formam non est de essentia ejus, de quo prædicatur, ita scilicet ut hoc sine illo esse, & concipi possit. Ergo, &c.

CCLXIX. Probatur hæc Resolutio similiter rejectione aliarum definitionum, & explicationum, & hujus facilitate, ac claritate. Ergo, &c.

RESOLUTIO III.

CCLXX. **D**ico 3^o. prædicari in *quale quid* est prædicari essentialiter & accidentaliter respectu diversorum; ut rationale v. g. quod de Petro prædicatur in *quale quid*, sive essentialiter & accidentaliter; essentialiter quidem de Petro, quia rationali hoc; accidentaliter verò de Petro, quia animali hoc; quia secundum solam formam, sive rationalitatem est de essentia Petri secundum quod rationalis est, & non est de essentia ejusdem secundum quod animal est; siquidem de essentia animalis non est, esse rationale.

CCLXXI. Probatio Resolutionis satis colligitur ex duabus primis Resolutionibus.

DISPUTATIO TERTIA

De Genere.

DVBIVM I.

An Genus rectè à Porphyrio definiatur, unum aptum prædicari de pluribus Specie differentibus in quid.

RESOLUTIO.

CCLXXII. **D**ico contra Scotistas, Thomistas, & P. Comptonum (qui dicit definitionem illam optimam esse, & ab omnibus probatam, sed immerito, ut patebit legenti PP. Hurtadum, Arriagam, Oviedum, &c.) definitio illa Generis ex Porphyrio tradita, non est bona.

CCLXXIII. Probatur 1^o, quia, cum prius sit scire, quid Genus, quam quid Species, & Specie differre; definitum ibi ingreditur suam definitionem, & idem explicatur per idem, ergo, &c. Consequentia patet; probatur antecedens, quia Species materialiter & 1^o intentionaliter includit Genus materialiter, & 1^o intentionaliter; Universale verò formaliter, dicitur Genus aut Species formaliter & 2^o. intentionaliter à modo prædicandi Generis aut Speciei materialiter & 1^o intentionaliter sumptorum. Deinde quænam Specie differunt, nisi illa, quæ sunt dissimilis naturæ seu essentiæ, eo quod sub eodem Genere sive transcendentali, sive prædicamentali habeant diversas definitiones? Vbi vides, notitiam Specie differentium præsupponere notitiam Generis, ergo, &c.

CCLXXIV. Probatur 2^o, vel in illa definitione subaudiuntur particule sive mediata, sive immediata, incompletè & per modum partis determinabilis, vel non? si prius, definitionis Generis erit hic sensus, Genus est unum aptum prædicari sive mediata, sive immediata de multis Specie Differentibus incompletè, & per modum partis determinabilis: quo dato, æquè

commode fuisset definitum Genus, quod prædicatur sive mediata sive immediata de multis Genere differentibus in quid; quia æquè hoc modo à Specie & cæteris Universalibus distinguitur, ac isto modo: illa tamen definitio est omnino vitiosa. Deinde, si addantur ultimæ particule, incompletè & per modum partis determinabilis, frustra & male additur, Specie Differentibus; frustra quidem, quia absque illis particulis Species sufficienter à Genere excluditur; male autem, quia excludunt animal respectu Petri & Pauli, quod, cum sit propriissimè Universale 1^{um} vel 2^{um}; nec 2^{um} sit, 1^{um} dici debet. Si posterius, nonnisi alterutrum conveniet Generi videlicet, vel prædicari mediata, vel prædicari immediata tantum de multis, &c. & per ly mediata à definitione Generis excludetur prædicatio substantiæ respectu corporis & spiritus, & per ly immediata, excludetur prædicatio substantiæ respectu duorum hominum, duorum leonum, &c. quæ sunt absurda. Deinde, si ultimæ particule non subaudiuntur, Genus erit indifferens ad prædicari completè, vel incompletè; quo casu, Speciem non excludit; quod etiam est absurdum, &c.

CCLXXV. Confirmatur 1^o, si prædicari in quid de Specie differentibus & solo numero Differentibus, diversificet immediatè prædicabilia, idem dicendum erit de prædicari in quale, & prædicari in quale-quid de illis. 2^o si prædicari in quid, quale, & quale-quid, rectè contrahantur immediatè ad diversas Species per ly Specie Differentibus, & ly solo numero Differentibus; etiam rectè contrahantur immediatè ad diversas Species per ly de substantiis & de accidentibus; per ly de primis & secundis substantiis; de primis accidentibus & de secundis, &c. quæ augent Universalis, in membra æquè immediata, ac Porphyrius assignavit, sine fine divisiones. Ergo, &c.

D V.

D V B I V M I I.

Qua sit Generis definitio essentialis.

R E S O L U T I O.

CCLXXVI. **D**ico: Genus est unum, &c. aptum predicari de multis, ut pars materialis essentiae Universalis. Ly unum, &c. aptum predicari de multis, est Genus definiti; cetera tenent locum differentiae. Sumitur ex Mag. Nostro Bachone in 1^{um} Dist. 8. art. 2^o.

CCLXXVII. Per ly *ut pars*, exclude Speciem, quae praedicatur ut tota essentia Universalis.

CCLXXVIII. Per ly *ut pars materialis*, exclude differentiam, quae praedicatur, ut pars formalis essentiae Universalis.

CCLXXIX. Per ly *essentiae Universalis*, exclude Univerfale concomitans, quod praedicatur ut pars materialis essentiae singularis. Item Proprium & Accidens, quae praedicantur ut accidentia essentiae.

CCLXXX. Praedicari autem, ut pars materialis, est praedicari, ut natura determinabilis five perfectibilis; & praedicari, ut pars formalis, est praedicari ut forma determinativa seu perfectiva: sicut enim materia, ad faciendum hoc vel illud compositum Physicum, determinatur a forma; ita Genus, ad faciendum hoc vel illud compositum Logicum, determinatur a differentia: & hinc verum est commune hoc Pronuntiatum, Genus sumitur a materia. Imitative scilicet & analogice; quia, si proprie Genus fumeretur a materia, in spiritualibus, v. g. Angelis, in quibus nulla datur materia, nulla dari etiam possent Genera, quod est falsum: nam substantiam spiritum, &c. habent pro Genere. Vnde dic, Genus proprie sumi a tota entitate individuorum, tam confuse conceptorum, quasi essent unum quid; intellectus v. g. sibi totam entitatem Petri & Pauli, vel Petri & Bucephali in ordine ad sensationem v. g. progressionem, &c. representat, abstrahendo ab aliis operationibus, ratiocinatione scilicet, hincognitione, &c. & hoc ipso Petrus & Paulus, sive Petrus & Bucephalus sunt animal; ac, per consequens, Genus per intellectum. Ita fere Bacho Noster loco cit. *Definitio indicat totam quidditatem rei; sed materia est pars quidditativa rei materialis: ergo definitio indicat materiale, & formale; ergo Genus, & Differentia, utrumque sumitur a materia & forma, vel unum a materia, reliquum a forma.*

CCLXXXI. Objicies 1^a. concreta accidentalia, quale est Genus, juxta Aristotelem, debent definiti per subjectum & formam, & non per Genus & differentiam; sed allata definitio est per Genus & differentiam, ergo nulla est.

CCLXXXII. Respondeo, concreta accidentalia utroque modo recte definiti; nam optimè definitur album, *res habens albedinem*; quae est definitio per subjectum & formam; & coloratum *disgregativum visus*, quae est per Genus & differentiam: Aristoteles autem ita unum affirmat, ut aliud fieri posse, non neget.

CCLXXXIII. Instabis, si Genus, definiatur per Genus & differentiam, dabitur processus in infinitum in Genere definiti; sed hoc est absurdum, ergo, &c. Probat sequela, quia si deur hujus Generis Genus definiti, etiam dabitur istius Generis Genus definiti, & sic de aliis in infinitum, ergo, &c.

Pro Solutione hujus instantiae

CCLXXXIV. Adverte, dari duplex definitum in allata definitione; unum essentialiter, formale & ut quo, & est ipsa 1^a intentio formalis generificans; aliud accidentale five denominatum, materiale & ut quod, quod est 1^a intentio objectiva affecta dicta 1^a intentione formali, five omne illud, quod est praedicabile ut quod de multis in quid, ut pars materialis, ut v. g. animal de homine & bruto. Hoc praemisso, ad Instantiam

CCLXXXV. Respondeo negando sequelam, ad ejus probationem Respondeo negando antecedens. Ratio est, quia Genus, quod hic definitur, non tantum est Genus denominativè ac ut quod, sed essentialiter, & ut quo; Genus verò definiti est tantum Genus denominativè. Vnde Genus definiti & definitum non sunt adequatè idem; nec proinde definitum ut definitum, ingreditur suam definitionem, tamquam Genus definiti; sed ut quidpiam a definito adequatè inadèquatè distinctum, scilicet ut Univerfale, factum denominativè Genus, in cujus Genere definiti non proceditur in infinitum, sed sistitur in ente, ut consideranti patebit. Hinc

CCLXXXVI. Colliges unum & idem posse esse denominatum five definitum accidentale in definitione alicujus concreti, & interim praedicatum illi essentialiter & superius; nam id hic contingit, siquidem Univerfale est denominatum five definitum accidentale in definitione concreti Genus, & interim est praedicatum illi essentialiter & superius, utpote Genus definiti & pars definitionis illius. Idem contingit in ente respectu concreti intelligibile; ens enim est illius denominatum, & in definitione illius, quae definitur ens, quod potest intelligi vel objici intellectui, est definitum accidentale, & interim est praedicatum illi essentialiter & superius, utpote Genus definiti & pars definitionis illius.

CCLXXXVII. Objicies 2^o Genus non praedicatur ut pars materialis, &c. ergo malè definitur, unum aptum praedicari de multis ut pars materialis.

CCLXXXVIII. Respondeo distinguendo antecedens, non praedicatur ut quod ex parte utriusque definiti ut pars materialis, &c. concedo antecedens; imò ex parte formalis definiti numquam praedicatur ut quod ut pars materialis, &c. quia illud est hæc 1. intentio formalis generificans, quae de nullo praedicatur ut quod ut pars materialis, &c. non praedicatur ut quod (puta aptitudinaliter modo infra explicando) ex parte definiti essentialis & ut quo ut pars materialis, &c. nego antecedens; id verò sufficit, nec quidpiam amplius requiri potest, cum utrumque definitum praedicetur ut pars materialis, eo modo quo est definitum.

CCLXXXIX. Objicies 3^o. Genus non est Species; sed id quod definitur juxta Aristotelem 7^o. Metaph. cap. 1^o. & 2^o. & Poster. 14^o. debet esse Species, ergo non potest definiti.

CCLXXXI. Respondeo distinguendo majorem, Genus non est Species essentialiter five 1^o intentionaliter, & ut definitum quo Speciei, concedo majorem: accidentaliter five 2^o intentionaliter, & ut definitum quod Speciei, nego majorem; nihil verò amplius requirit Aristoteles, ut quidpiam definiti possit.

An Genus sit 1^{um} predicabile sumptum in concreto, an in abstracto pro sua forma. Et quomodo de Specie predicetur, an ut totum potentiale, an ut pars actualis, an ut æquale de æquali.

Antē Resolutionem
CCLXXXII. Suppono 1^o dubium procedere de definito quod & accidentali in definitione Generis, sive de Genere 1^o intentionaliter sumpto, id est, pro materiali significato concreti Genus, ut v. g. pro animali, an ut animal, an ut animalitas sit 1^{um} predicabile.

CCLXXXIII. Suppono 2^o, totum esse multiplex, unū Physicū, alterū Logicū sive Metaphysicū.

CCLXXXIV. Totum Physicū est, quod constat partibus Physicis; quæ, si essentielles sint, ut materia & forma; dicitur totum essentiale Physicū: si integrantes, ut caput, pes, manus, &c. respectu corporis, dicitur totum integrale Physicū.

CCLXXXV. Totum Logicū sive Metaphysicū est, quod constat partibus Metaphysicis, quæ si actuales sint, id est, si totum actu eas contineat, dicitur totum actuale Metaphysicū; si potentiales, id est, si totum eas actu non contineat, sed ab illis abstractū, illis per affirmationem tantum inexistere possit, dicitur totum potentiale Metaphysicū: sic animal, quia actu continet vivens sentitivum tamquam partes essentielles, dicitur totum actuale Metaphysicū respectu illarum: quia verò actu non continet rationale & irrationale, sive hominem & brutum, sed potentia tantum, in quantum potest homini & bruto inexistere per affirmationem, respectu hominis & bruti est tantum totum potentiale. Hinc patet 1^o, unum & idem respectu diversorum posse esse totum actuale & totum potentiale si mul. 2^o. Genus esse partem actualem Speciei; nam animal v. g. continetur actu tamquam pars essentialis in homine: 3^o ē contrā Speciem esse partem potestativam Generis; nam animal ab homine præsum, non dicit actu totum, quod dicit homo, & potest homini inexistere per affirmationem.

CCLXXXVI. Suppono 3^o ad verificationem propositionum live prædicatorum, solum attendi debere, an prædicatum & subiectum, secundum quod dicunt in recto sint idem, nihil curando de obliquo, an v. g. eorum formæ sint realiter inter se distinctæ, vel non nam hæc prædictio est vera, *album est dulce*, quia rectū utriusq; est idē, scilicet res habes albedinem & dulcedinem; licet utriusq; formæ, scilicet albedo & dulcedo, sint inter se realiter distinctæ. Hinc

CCLXXXVII. Suppono 4^o omnes prædicationes veras, semper esse æquales de æquali (licet non omnes prædicationes æquales de æquali, ut in ligno, pedis A. de pede B. defectu identitatis, sint veræ) nam cum omnes veræ dicant præcisē idem esse rectum prædicatum & subiectum, debent esse ejusdem de eodem ac proinde æquales de æquali; quia nulla magis æqualia, quam eadem.

CCLXXXVIII. Suppono 5^o, omnia concreta esse æqualia, secundum id quod dicunt in recto, etsi inæqualia sint, secundum quod dicunt in obliquo: ut animal, homo, rationale; animal enim in recto dicit rem habentem animalitatem, & homo rem habentem humanitatem; res & res verò, ibi sistendo, sicut dicunt identitatem, ita & æqualitatem: Animal verò in obliquo dicit animalitatem, & homo humanitatem;

animalitas autem minus actu dicit, quam humanitas; nam, non dicit rationalitatem, quam dicit humanitas. Vnde animal & homo, secundum quod dicunt in recto, sunt æqualia concreta; & inæqualia dumtaxat, secundum id quod dicunt in obliquo, ac proinde secundum formam abstractam. Itaque sit

RESOLUTIO I.

CCLXXXIX. **D**ico 1^o. Genus 1^o intentionaliter sumptum sive animal, non potest esse 1^{um} predicabile in concreto. Id omnino videtur D. Thomæ de ente & essent. cap. 7. & O. pusc. 42. c. 19. ubi docet; *Solis abstractis tribui Generalium & Specierum intentiones*. Et Mag. Nostri Bachonis in 3. D. 9. art. 3. ubi ait: *Sortes enim nihil aliud est, quam animalitas, & rationalitas*. Alios hujus sententia patronos nō legi puto tamē, debere esse communē.

ccc. Probatur, quia in concreto non est unum, &c. aptum prædicari de multis in quid ut pars materialis; sed primum predicabile debet esse tale, ergo, &c. Probatur major; quia in concreto non est aptum affirmari ut pars, sed ut totum & æquale de æquali tantum, ut patet ex supposito 4^o. ergo, &c.

ccc i. Confirmatur, animal v. g. in concreto importat ea omnia confusē, de quibus aptum est prædicari; sed illa non sunt apta prædicari de seipsis ut pars materialis, ergo nec animal in concreto est aptum affirmari de Petro v. g. & Bucephalo, ut pars materialis probatur consequentia, quia Petrus & Bucephalus sunt ex illis, de quibus animal aptum est affirmari. Minor patet; quia, sicut nihil est sibi ipsi pars, ita nihil de se ipso aptum est affirmari ut pars.

ccc ii. Obijcies tamen 1^o, licet Genus 1^o intentionaliter sumptum, animal v. g. non sit, secundum id quod dicit in recto, aptum affirmari de multis in quid ut pars materialis, est tamen secundum id quod dicit in obliquo; sed hoc sufficit, ut sit 1^{um} predicabile in concreto, ergo, &c.

ccc iii. Respondeo, negando minorem; quia sicut obliquum sive forma non sufficit ad faciendum se solā concretum illud, cuius est forma; ita ad hoc ut Genus 1^o intentionaliter sumptum, dicatur in concreto aptum affirmari de multis in quid ut pars materialis, non sufficit illud esse aptum affirmari de multis in quid secundum obliquum, sive formam tantum; sed debet esse aptum affirmari secundum rectum & obliquum, ut pars materialis. Vnde, sicut dicis, Genus secundum id, quod dicit in obliquo tantum, esse aptum affirmari, &c. ut pars materialis; dic consequenter in obliquo tantum, sive in abstracto esse 1^{um} predicabile & non in concreto.

ccc iv. Obijcies 2^o. definitio primi prædicabilis convenit animali, quatenus habet pro forma animalitatem; ergo in concreto: probatur antecedens; quia definitio albi, puta *esse disgregativum visus*, dicitur convenire albo in concreto, quia convenit illi quatenus habet pro forma albedinem, ergo, &c.

ccc v. Respondeo, negando antecedens; nam sicut animal quatenus habet pro forma animalitatem, non est animalitas; ita nec est definitum quod in definitione Generis, sive pars materialis, aut totum potentiale respectu eorum, de quibus aptum est prædicari, ut totū potentiale. Ratio est, quia non dicit minus actu, quā illa, quod tamen ad hoc requiritur.

cccvi. Ad antecedentis verò probationem, Respondeo esse disparitatem, quod album, quatenus habens albedinem, sit definitum quod in allata definitione albi, nam illi, utpotē subiecto, quod est definitum quod in definitione concre-

concretorum accidentalium, convenit ut *quod* tota allata albi definitio; non autem animali, quatenus habet pro forma animalitatem, definitio Generis, sed soli animalitati: quorum ratio esse potest, quia definitio Generis non est essentialis definitio animalitatis in concreto, sicut allata definitio albi, est definitio essentialis albedinis in concreto: quod patet à pari, quia si definiatur animalitas in concreto *vivens sensitivum*, statim hæc definitio conveniet animali, ut v. g. homini quatenus habet animalitatem, sicut ista definitio albedinis in concreto convenit albo: cum hoc tamen discrimine, quod utrumque, homo scilicet & animalitas, in illa definitione sint definitum *quo* & essentialis, propter concretionem essentialis hominis cum animalitate: secus album & albedo in definitione albedinis in concreto, quia concretio albi cum albedine non est nisi accidentalis.

cccvii. Obijcies 2^o, in definitionibus concretorum accidentalium est duplex definitum, *quo*, & *quod*. Ergo & in prædicationibus prædicatorum accidentalium est duplex prædicatum, *quo* & *quod*.

cccviii. Respondeo 1^o. hoc toto gratis dato, nihil sequi contra nos; quia ut summum sequitur prædicata habere prædicatum *quo* & *quod*; negamus autem Universalia denominativè ut talia Universalia, esse posse prædicata; & affirmamus, ut talia solum esse posse prædicabilia.

cccx. Respondeo 2^o negando consequentiam; quia est lata disparitas. 1^o. quod rectè definiatur aliquid in abstracto ut tali, non tamen rectè (saltem formaliter) prædicatur, de abstracto ut tali; nisi transcendente sit, juxta dicta in præparam. Log. Disp. 4. Dub. 2^o. quod definitum ut definitum (puta Metaphysicum) dicat partem materialem ut talem, & partem formalem ut talem; neque autem hæc, neque ista ut talis (saltem formaliter) prædicatur. 3^o. definitum *quo* est magis principale, non potest autem prædicatum *quo* esse prædicatum magis principale, imò nullo modo prædicatum esse potest, defectu identitatis & æqualitatis cum eo à quo abstrahitur, & de quo prædicatur, ut paulò antè vidimus. Ex his autem sequitur, hanc prædicationem, *Homo est animal rationale*, non esse in rigore, definitionis Metaphysicæ de definito Metaphysico, quia animal & rationale in concreto sunt æqualia cum homine, non verò Genus ut Genus, differentia ut differentia, quæ in definitione Metaphysica hominis essentialiter involvuntur. Quare definitio hominis sint animalitas & rationalitas, quæ tamen numquam ut definitio prædicentur de homine. Vnde malè dicitur, definitionem ut definitionem, debere converti per prædicationem formalem cum definito; quia hoc ipso, quod definitum & definitio prædicantur formaliter de invicem, altera pars definitionis cessat esse pars, & fit æqualis definito: dici tamen potest, definitionem in concreto debere converti cum definito, propter quod, nos accommodando communi modo loquendi, qui sapius concreta essentialia sumit in concreto, Genus & differentiam definimus in concreto.

cccx. Instabis, in definitionibus Universalium communiter receptis, Genus & differentia definiti, sunt in concreto, ergo & in definitione hominis Genus & differentia definiti, possunt esse in concreto, ac proinde hæc prædicatio, *Homo est animal rationale*, est in rigore, definitionis Metaphysicæ de definito Metaphysico.

cccx. Respondeo, negando consequentiam, est enim disparitas, nempe quod homo non sit concretum accidentale, cuius dantur duo definita *quo* & *quod*, ac proinde & duo Genera definiti *quo* & *quod*, & duæ differentie definiti *quo* & *quod*; Universalia autem sunt talia concreta. Hinc tamen non sequitur, ratione Generis definiti in concreto, aut ratione differentie definiti in concreto, Genus definiti aut differentiam definiti includere suum definitum, & definitum ingredi suam definitionem; quia Genus definiti in definitione Generis v. g. est res habens Universalitatem, definitum verò adequatum in definitione Generis, non est res habens Universalitatem, sed Genus sive res habens talem Universalitatem, puta Genericitatem & Genericitas; alioqui animal esset tale definitum. Idem est de Genere definiti in definitione albi, quæ definitur, disgregativum visus; illud enim est res habens albedinem, quæ non est definitum adequatum in definitione illa, sed album, alioqui paries aut cygnus esset definitum adequatum in definitione albi; deinde quia alioqui definitum in concretis accidentalibus non esset nisi unum, prout est in essentialibus.

RESOLUTIO II.

cccxii. Dico 2^o. Genus 1^o. intentionaliter sumptum, sive animal (& sic de cæteris prædicabilibus) homo, &c. est 1^{um} prædicabile in abstracto, sive sumptum pro animalitate, humanitate, &c.

cccxiii. Probatur 1^o. quia neque animal ut pars materialis essentie Universalis; neque homo ut tota essentia Universalis individuorum præcisè; neque rationale ut pars formalis essentie Universalis; neque risibile in quale purè, sive ut accidens (& idem est de albo) in concreto est aptum affirmari de multis, sed in abstracto dumtaxat; quia in concreto non est nisi aptum affirmari ut idem, ut æquale de æquali, &c. secus verò in abstracto; ergo, &c.

cccxiv. Confirmatur, quia illa in concreto important illa ipsa de quibus apta sunt affirmari, quæ, ut talia, non possunt esse pars materialis sue essentie Universalis, tota sua essentia Universalis præcisè, &c. in abstracto autem illa non important; & illis in abstracto sumptis conveniunt Universalium definitiones. Vnde omnia Universalia in concreto sunt unum & eodem modo apta prædicari; scilicet ut idè, ut æquale de æquali, &c. non item in abstracto.

cccxv. Probatur 2^o. animal aliquo sensu est 1^{um}. prædicabile, non in concreto ut Resol. 1^a vidimus, & alioqui quinque prædicabilia essent eodem modo prædicabilia, scilicet ut æquale de æquali; ergo in abstracto.

cccxvi. Confirmatur animalitas est unum, &c. aptum prædicari de homine & bruto in quid ut pars materialis, ergo est 1^{um} prædicabile: consequentia tenet à definitione; major patebit Solutione argumentorum.

cccxvii. Obijcies 1^o, animalitas numquam prædicatur de homine & bruto, nisi mediet concretio illius cum homine & bruto; ergo non est 1^{um} prædicabile in abstracto: consequentia videtur certa; probatur antecedens, quia falsa est prædicatio, *Homo est animalitas in abstracto*, *brutum est animalitas in abstracto*, ergo, &c.

cccxviii. Respondeo concessio antecedente, negando consequentiam, quæ evidenter retorqueo in visum. Visus numquam videt objectum nisi apertis palpe-

palpebris, ergo illis non apertis, non est completè visivus, negatur consequentia: sicut enim apertio palpebrarum non se tenet ex parte potentiae, sive ut potentia visiva sit completa; sed ex parte actus visivonis, sive ut potentia sit videns: sic similiter concretio non se tenet ex parte prädicabilitatis sive aptitudinis ad prädicandum; sed ex parte prädicationis, quæ se habet ad 1^{um} prädicabile accidentaliter contingenter, sicut visio ad potentiam visivam: quis enim attendens, dicit dormientem oculis clausis non esse completè visivum, licet visio defectu apertionis palpebrarum, quam prærequirit, non sit proximè possibilis, quæ longè sunt diversa? nullus: ergo nec ullus dicere poterit, animalitatem abstractam ab homine & bruto sine concretionem non esse completè 1^{um} prädicabile, licet accedere debeat concretio ut prädicetur, sicut accedere debet oculorum apertio, ut visus videat; quia longè diversa sunt, esse prädicabile, & prädicari; esse visivum, & videre.

cccix. Nec refert, quod posita concretionem videatur natura proximè prädicabilis, quàm ea absente; quia id solum verum est de proximiori prädicatione æqualis de æquali & identicâ; non autem de proximiori prädicatione naturæ ut naturæ taliter Universalis, Generis v. g.

cccx. Instabis, frustrâ est potentia, quæ non potest reduci ad actum; sed prädicabilitas generica animalitatis in abstracto non potest reduci ad actum, ergo, &c.

cccx. Respondeo distinguendo maiorem, frustrâ est potentia, &c. si non possit reduci ad actum, defectu alicujus se tenentis ex parte ipsius potentiae, concedo maiorem: ex defectu alicujus se tenentis ex parte ipsius actus, nego maiorem; quia alioqui ea non essent possibilia, quæ Deus decrevit numquam producere, cum tamen necessario sint possibilia: frustrâ esset aer illuminabilis à secundo sole, & terra calcabilis ab Anti-Christo, defectu existentiarum illorum. Item frustrâ esset potentia visiva in tenebris, in dormiente oculis clausis, &c. Ad hoc enim, ut potentia non sit frustrâ, & completa sit in ratione potentiae, sufficit quod actus sit possibilis, mediantibus iis, quæ actus ex parte sua requirit; & illa, ex parte sua nihil requirat, ut exeat in actum, quod hic fit.

cccxii. Urgebis, conditiones requisitæ ex parte actus sunt requisitæ ex parte potentiae; ergo, ubi actus non poterit poni, nisi certis quibusdam conditionibus requisitis ex parte actus positis, illa erit frustranea, quamdiu non ponentur.

cccxiii. Respondeo negando antecedens; quia actus & potentia realiter distinguuntur, & potentia sæpè tempore, imò semper naturâ, est prior actu; unde conditiones requisitæ ad hoc, ut sit actus, non sunt conditiones requisitæ ad hoc, ut potentia sit. Quis enim dicet, lucem & colores conditiones requisitas, ut sit visio, esse conditiones requisitas, ut potentia sit visiva? Item, quis dicet existentiam secundi solis conditionem requisitam, ut sit illuminatio secundi solis, esse conditionem requisitam ad hoc, ut aer sit à secundo sole illuminabilis? idem est de terra, ut calcabili ab Anti-Christo. Unde conditiones requisitæ, ut sit actus, sunt quidem requisitæ, ut potentia sit operans, & effectus operatus; non verò ut potentia sit operativa, & effectus operabilis: ac proinde & in proposito, concretio naturæ Universalis cum subjecto, quidem est

conditio requisita, ut intellectus sit prädicans, & ipsa prädicata; non verò ut intellectus sit completè prädicativus, & ipsa completè prädicabilis.

RESOLUTIO III.

cccxiv. Dico 3^o, contrâ R. P. Oviedum: Genus de Specie, v. g. animal de homine, non prädicatur ut totum potentiale, ut pars potentialis, & ut pars actualis, etiam hoc sensu, quod prädicatio terminetur ad totum potentiale & partem potentialem, quæ per prädicationem constituitur actu componens & pars actualis.

cccxv. Probatur, quia prädicatio neque terminatur ad totum potentiale, neque ad partem potentialem, ergo, &c. Probatur antecedens, quia, ex insinuatione supra à num. 317. concretio est conditio requisita ex parte prädicationis; & reverâ, cum prädicatio sit identificatio prädicati cum subjecto, debet esse æqualis de æquali, sive concreti de concreto: sed nullum concretum est totum potentiale, aut pars potentialis respectu ejus, de quo prädicatur, ergo, &c. Probatur minor, quia alioqui, cum totum potentiale & pars potentialis actu pauciora dicat, quàm id, de quo ut talia prädicantur, non essent illi æqualia; intelligi autem non potest, quomodo inæqualia possint esse idem per affirmationem; erunt enim, ut supponitur; non erunt, quia unum plus dicit, quàm aliud, ergo, &c.

cccxvi. Dices fortè, prädicatio non terminatur quidem ad totum potentiale, aut partem potentialem, attento concreto, v. g. animal, quod prädicatur, secundum quod dicit in recto, sed bene secundum id, quod dicit in obliquo; sed hoc sufficit ut dicatur terminari ad totum potentiale & partem potentialem, ergo, &c.

cccxvii. Respondeo, negando maiorem pro 2^a parte; quia prädicatio est quædam identificatio; sicut autem falsum est dicere, Homo est animalitas: homo est id, quod minus dicit actu, quàm homo: homo est id, quod est inæquale homini: ita falsum est dicere, prädicationem terminari ad concretum, secundum quod dicit in obliquo: nam concretum illud sive animal v. g. secundum id, quod dicit in obliquo, est animalitas, est totum potentiale, pars potentialis, &c. Unde prädicatio non terminatur ad concretum ut concretum; sed ad concretum secundum id quod dicit in recto, ut omnes fateri debent. Ex quo ulterius patet ad id, quod nonnulli alii dicunt, Genus, animal v. g. ex parte actus prädicantis non prädicari ut totum potentiale, bene ex parte apprehensionis præviæ ad prädicationem; sed illi non reflectunt, quod ex parte talis apprehensionis animal non prädicetur, nec verè de Specie affirmetur, propter rationes jam datas, licet verè de Specie prädicetur id, quod ex parte apprehensionis præviæ, secundum quod dicit in obliquo, &c. est totum potentiale & pars potentialis; quia illa multum differunt, ut consideranti patebit.

cccxviii. Instabis 1^o. veritas prädicatorum Universalium sumitur penes identitatem rectorum subjecti & prädicati; diversitas verò specifica penes diversitatem obliquorum sive formarum: ergo etiam suo modo prädicatio terminatur ad concreta secundum id, quod dicunt in obliquo, & suo modo affirmantur obliqua sive formæ, puta in ordine ad specificationem prädicatorum; licet non affirmantur in ordine ad verificationem. Probatur consequen-

sequentia, quia alioqui omnes omnino prædicationes essent identicæ & ejusdem Speciei, quod nullus dixerit, ergo, &c.

ccccxix. Respondeo, negando antecedens pro 2^a parte, & retorqueo argumentum. Veritas hujus prædicationis, *album est dulce*, sumitur penes identitatem rectorum albi & dulcis; diversitas verò specifica illius propositionis ab hac, *album est album*, penes diversitatem obliquorum sive albedinis & dulcedinis, ergo suo modo affirmatur albedo de dulcedine, puta in ordine ad specificationem. Quis non videt hoc esse falsum, & omni sensu esse falsum, *albedo in abstracto est dulcedo in abstracto*? realiter enim distincta, ut sunt albedo & dulcedo, nequeunt de invicem affirmari.

ccccxx. Deinde, sicut albedo in abstracto nullo sensu potest affirmari de dulcedine in abstracto, in ordine ad verificationem; ita nullo sensu, à fortiori, potest de illa affirmari in ordine ad specificationem: quia prius est, posse ad verificationem concurrere, quam ad specificationem prædicationis veræ. Unde quando dicitur, diversitatem specificam prædicationum sumi penes diversitatem formarum, non est sensus, concreta de invicem aliquo modo affirmari secundum obliqua sive formas; sed diversitatem specificam prædicationum sumi à diversis Specie prædicatis & subjectis materialiter sumptis, ob diversitatem specificam obliquorum, sive formarum eorundem (quæ sunt valde diversa) & habetur diversitas illa, licet formæ nullo modo de invicem afferantur.

ccccxxi. Quare firmum manet, quod prædicatio non terminetur ad concreta, secundum quod dicunt in obliquo; item quod Genus in concreto non sit aptum affirmari de multis in quid ut totum potentiale, vel ut pars materialis secundum id, quod dicit in obliquo; licet hæc prædicatio, *homo est animal*, distinguatur Specie ab hac, *homo est homo*, propter obliquum, quod *animal* habet diversum ab homine. Hinc ulterius patet, omnes propositiones non ideo fore identicas; nam sicut ad hoc, ut sint diversæ Speciei, sufficit diversitas specifica formarum prædicati vel subjecti, licet hæc nullo modo de invicem afferantur; ita à fortiori ad hoc, ut non sint identicæ, id sufficit.

ccccxxii. Instabis 2^o, prædicatio terminatur ad id, quod abstrahitur à subjecto; sed illud, quod abstrahitur à Specie, v. g. homine, est totum potentiale & pars potentialis respectu illius; ergo prædicatio Generis de Specie, v. g. animalis de homine, terminatur ad totum potentiale & partem potentialē.

ccccxxiii. Respondeo negando majorem; nam id quod abstrahitur à subjecto sive homine non est animal in concreto, sed animal in abstracto, sive animalitas: ratio est, quia illud quod abstrahitur, minus dicit, quam id à quo abstrahitur; imò ideo dicitur abstractum, quia minus dicit: animal verò in concreto omnino eadem, & non pauciora, confuse dicit, quam homo à quo abstrahitur; aliàs de homine prædicari non posset: prædicatio autem, ut sæpe dictum est, terminari debet ad animal in concreto. Hinc

ccccxxiv. Colliges quodd, ubicumquediximus animal abstrahi ab homine & bruto, hominem à Petro & Paulo, animal esse totum potentiale respectu hominis & bruti, &c. dictum sit, secundum communem loquendi modum, & intelligendum de animali & homine sumptis in abstracto, (& sic

de aliis) juxta has Resolutiones, quarum hæc est proprius locus.

RESOLUTIO IV.

ccccxxv. Dico, cum Magistro Nostro Bachone in 1^{um} Dist. 8^a. art. 2^o. & PP. Complut. Disp. 5^a de Genere q. 5. §. 2^o. D. Thom. & aliis pluribus, quos ibi citant. Genus de Specie, v. g. animal de homine prædicatur tantum ut æquale de æquali, licet aliter repræsentetur, quam Species, ob diversum formale significatum, quod habet à Specie distinctum: ex quo fit, prædicationem Generis de Specie non esse identicam.

ccccxxvi. Probatur, quia Genus de Specie, sive animal de homine prædicatur tantum in concreto, & secundum quod importat in recto tantum: sed secundum quod Genus importat in recto, utpotè omnino idem cum Specie (nam Genus v. g. animal est res habens animalitatem, Species v. g. homo res habens humanitatem) prædicatur ut æquale de æquali, & non potest aliter prædicari, ergo, &c.

ccccxxvii. Confirmatur, ut Genus legitime prædicetur de Specie, debet esse identitas inter ipsum & Speciem, sive debet actu tantum includere, quantum Species, nec plura; ergo debet de illa prædicari tantum ut æquale de æquali. Probatur consequentia, quia, ut totum potentiale & pars potentialis, pauciora actu includit, quam Species.

ccccxxviii. Obijcies 1^o. Genus non potest prædicari de Specie ut æquale de æquali, nisi secundum quod dicit in recto; sed in recto plura dicit, quam Species, ergo nullo modo Genus potest prædicari de Specie, ut æquale de æquali.

ccccxxix. Probatur minor, quia animal v. g. in recto præter hominis individua (quæ tantum dicit homo in recto) dicit brutum & omnes Species bruti, quas homo non dicit, ergo, &c.

cccxl. Respondeo distinguendo minorem; sed Genus in recto, ut substat suppositioni, quæ prædicatum præcisè afficit, sive ut subest judicio prædicanti inadæquatè sumpto, & prout præcisè tendit in prædicatum, plura dicit, quam Species, concedo minorem; nam animal v. g. ut sic, dicit omnia, quibus convenit habere animalitatem, quæ sunt sine numero plura, quam ea, quibus convenit habere humanitatem: ut substat verificationi, quæ totam propositionem afficit, sive ut subest judicio prædicanti adæquatè sumpto, & prout tendit in totam propositionem, nego minorem; quia ut sic, per copulam determinatur (supposito usu jam recepto, in eo, quod in prædicatione hominis de Petro, *Petrus est homo*, homo accipitur personaliter, & confundatur cum Petro, juxta dicta Disp. 1^a. n. 30^o. & Disp. 2^a. n. 227.) ad significandum illud idem, quod Species dicit in recto, quod quidē inter illud solū & Specie possit esse verificatio & identificatio.

cccxli. Obijcies 2^o. Genus prædicatur incomplete & ut pars materialis de suis Speciebus, ergo non prædicatur ut æquale de æquali.

cccxlii. Respondetur communiter, distinguendo antecedens, Genus prædicatur incomplete & ut pars materialis, ex parte formalis significati, & secundum id, quod dicit in obliquo, conceditur: ex parte materialis significati, & secundum id quod dicit in recto, negatur. Verum hæc responsio difficilis est, ut vidimus supra n. 325. Sicut enim nulla est identitas aut æqualitas obliqui prædicati cum subjecto, ita nec prædicatum sive

Genus de suis Speciebus prædicatur, secundum id, quod dicit in obliquo. Quare aliter

CCCXLIII. Respondeo negando antecedens, Genus enim de suis Speciebus prædicatur completè ut totum actuale, & ut æquale de æquali; neque ipsum ab aliis Universalibus, aut omnia Universalia inter se, in actuali prædicatione distinguuntur, sed in aptitudinali: pro quo vide Resol. 2^{am}.

CCCXLIV. Objices 3^o. Genus, ut 1^{um} prædicabile, est totum potentiale & pars potentialis respectu suarum Specierum; ergo de illis debet prædicari ut totum potentiale & ut pars potentialis. Probatur consequentia, quia debet prædicari eo modo, quo est prædicabile.

CCCXLV. Respondeo negando consequentiam, nam in abstracto tantum est totum potentiale, & pars potentialis respectu suarum Specierum, ut satis intinuant omnes Adversarii, cum docent, Genus prædicari tantum de suis Speciebus, ut totum potentiale, & ut partem potentialem secundum id, quod dicit in obliquo; in abstracto verò de illis non prædicatur; quia sunt æqualitas, identitas, &c. ita concretio est conditio requisita ad prædicationem; & sicut prædicabile non prædicatur nisi in concreto, ita totum potentiale non contrahitur ad suas Species, in quibus potentia existit, nisi in concreto; nam contractio illa, quædam illius prædicationis est de suis Speciebus. Unde de toto potenciali conformiter loquendum ad dicta de prædicabili. Hinc ad probationem consequentiæ distinguo assumptum: debet prædicari omni eo modo, quo est prædicabile, nego assumptum; alioqui cum in abstracto & sine prædicatione sit 1^{um} prædicabile, deberet prædicari in abstracto & sine prædicatione, quod est ridiculum: aliquo modo, id est, debet prædicari in concreto, prout est aliquo sensu (non secus ac cætera) prædicabile in concreto, & ut æquale de æquali, concedo assumptum. Idem assumptum retorquetur in potentiam visivam; *Potentia visiva debet eodem modo videre, quo est potentia visiva*; quod intelligi non potest de omni eo modo, quo est visiva; alioqui cum sit visiva completè in tenebris & sine visione juxta dicta, Resol. 2^a, deberet videre in tenebris & sine visione, quod nullus dixerit: sed hoc modo, potentia visiva debet videre illuminato objecto & cum visione, sicut est visiva illuminato objecto & cum visione.

CCCXLVI. Objicies 4^o genus prædicatur de Specie v. g. animal de homine, ut Genus definiti; sed ut Genus definiti, animal est pars actualis hominis, ergo genus prædicatur de sua Specie, ut pars actualis, & non ut æquale de æquali.

CCCXLVII. Respondeo negando majorem; non enim animal est Genus definiti in definitione hominis, sed animalitas: alioqui definitum ingrederetur suam definitionem; nam animal in recto, idem est quod homo; Genus enim definiti debet esse 1^{um} prædicabile & totum potentiale, quale non est animal, sed animalitas tantum. Deinde animal non est pars actualis hominis, ut diximus; sed est ipse homo secundum quod dicit in recto; unde sequeretur, hominem esse partem actualem sui ipsius.

CCCXLVIII. Instabis 1^o, vera est hæc definitio hominis, *homo est animal rationale*: falsa hæc, *homo est animalitas rationalitas*, ergo animal est Genus definiti in definitione hominis, non animalitas; & animal est pars actualis hominis, non animalitas. Probatur

consequentia quia Genus definiti de suo definito, & pars actualis Metaphysica de suo toto, rectè prædicatur; rectè autem dicitur *homo est animal*, non verò, *homo est animalitas*. Ergo, &c.

CCCXLIX. Respondeo distinguendo antecedens pro 1^a parte, vera est hæc definitio hominis, *homo est animal rationale*, si animal & rationale sumantur ut extrà propositionem, & præcisè considerentur secundum id, quod dicunt in obliquo, concedo antecedens; si sumantur ut in propositione, & secundum id quod dicunt in recto, vel secundum id quod dicunt in recto & obliquo, nego antecedens: ratio est, quia ad veram definitionem requiritur Genus & differentia, animal verò & rationale sunt tantum Genus & differentia, præcisè considerata secundum id, quod dicunt in obliquo; & secundum id quod dicunt in recto, important ipsum definitum; unde si secundum id, quod dicunt in recto considerentur, definitum ingreditur suam definitionem, quod est vitiosum. Hinc dic 1^o. definitiones omnes concreti essentialis in concreto datas, non esse veras definitiones, nisi considerentur præcisè secundum obliquum. 2^o. *animalitatem rationalitatem*, veram esse definitionem hominis, sicut sunt verum Genus & vera differentia hominis; falsam tamè esse prædicationem *homo est animalitas rationalitas*; quia Genus ut Genus, differentia ut differentia de nullo verè prædicantur. Dic 3^o. definitionem, ut legitimam definitionem concreti essentialis, sive ut includit Genus & differentiam, numquam verè prædicari de suo definito; quia Genus & differentia debent sumi in abstracto; quod autem prædicatur, in concreto, ut toties probatum est.

CCCL. Nec dicas, Genus ut Genus, & differentiam ut differentiam numquam quidem verè prædicari in abstracto; benè in concreto secundum quod dicunt in obliquo: quia illud nihil aliud est, quam prædicari in abstracto, quod negis fieri, & meritò.

CCCLI. Instabis 2^o. non est ratio cur potius rectè definiantur Genus & Species 2^o intentionaliter sumpta per Genus definiti sumptum in concreto, quam sumpta 1^o. intentionaliter; sed sumpta 2^o. intentionaliter ita definiuntur, ergo & sumpta 1^o. intentionaliter.

CCCLII. Respondeo distinguendo majorem. Non est ratio cur potius, &c. quam sumpta 1^o. intentionaliter, pro concretis accidentalibus, prout sunt Genus & Species 2^o intentionaliter sumpta, concedo majorem: hæc enim, sicut etiam important duo definita sibi invicem accidentalia, ita debent importare duplex Genus definiti illis proportionata, ut quod scilicet, si definita quod; & ut quo, si definita quo; sicut verò non datur definitum quod & quo, nisi in concreto; ita nec datur Genus definiti quod & quo nisi in concreto; verumtamen ex tali genere definiti non sequitur definitum ingredi suam definitionem, quia quando definitio quale, v. g. qualificativum subiecti; Genus Universale, &c. nec qualificativum immediate significat in recto quale; nec Universale immediate significat in recto Genus; alioqui, cum omne concretum ordinatè affirmari possit de eo, quod immediate importat in recto, ordinatè essent hæc prædicationes, *qualificativum est quale, universale est Genus*, quod nullus admiserit; sed qualificativum immediate significat in recto rem immediate ut quo vel ut quod sive essentialiter, vel accidentaliter & denominativè habentè qualificativitatem, quod quali

quali non convenit, quia quale immediate ut *quo*, five essentialiter dicitur qualitatem, & hac mediante ut *quo*, five essentialiter qualificativitatem. Loquere proportionaliter de Universalis: res autem immediate ut *quo* habens qualificativitatem, est ipsa qualitas, ut *quod*, est ipse paries v. g. Quamobrem ad alterum membrum distinctionis: non est ratio cur potius &c. quam sumpta 1^o. intentionaliter, pro concretis essentialibus, prout sunt animal, homo, &c. nego maiorem; quia cum in illis sit unicum definitum, *quo* scilicet five essentialiter, & res immediate habens animalitatem, sit ipse homo five humanitas (quia in concretis essentialibus rectum & obliquum idem sunt) si Genus definiti in definitione hominis poneretur in concreto, definitum ingrederetur suam definitionem.

CCCLIII. Si verò quæras, quare potius in definitione concreti accidentalis sint duo definita, *quo* & *quod*, quam in definitione concreti essentialis? Respondeo, quia per definitum *quod*, ut opponitur definito *quo*, intelligunt Philosophi definitum accidentale, cui ratione sui non convenit definitio, sed ratione formæ præcisæ; quod tantum habetur, ubi forma est accidentalis; non verò ubi forma est essentialis; quia cum ipsa & ipsius definitio subiecto conveniant ratione subiecti, subiectum non est definitum *quod* & accidentale in definitione ipsius in concreto, sed *quo* & essentialiter: secus ubi definitum est accidentale, cui definitio ratione subiecti non convenit, sed ratione formæ.

D V B I V M IV.

An Genus & qualibet natura Universalis maneat Universalis in actuali prædicatione.

CCCLIV. SUppono 1^o. concretum homo v. g. ex rigurosa significatione, quam habet ex instituto, aliud esse, quam complexum *hic homo*; licet in hac propositione vera, *Christus est homo*, ex sensu riguroso, quo Theologi & Philosophi *hic homo* de Christo verificant, sit idem, quod *hic homo*, ut probatum est Tract. 1^o. Disp. 1^a. num. 30. Sed quod hic explicandum restat, est, quod ibi diximus, nempe, *vocem homo in propositione vera non retinere rigorosam significationem, quam habet ex instituto, sicut Universalitatem non retinet, de quo infra.* Vel enim sermo est de voce *homo* sumpta, secundum quod dicit in recto, sic ut sit *hic homo*, Petrus, Christus, &c. & hoc modo clarum est, non retinere Universalitatem, quam habet secundum quod dicit in obliquo, ut abstrahens ab individuis, ut minus dicens in suo conceptu quam individua, &c. quia autem hoc solo sensu est in propositione vera; loco supra citato dictum est, vocem *homo* in propositione vera non retinere Universalitatem. Vel sermo est de voce *homo* sumpta, secundum quod dicit in obliquo, sic ut sit idem quod humanitas, quod abstrahens ab individuis, quod minus dicens in suo conceptu, quam individua, &c. & de voce *homo* hoc modo sumpta queritur, an retineat Universalitatem in actuali prædicatione, quam ut sic habet.

CCCLV. Suppono 2^o. quando queritur, an Genus, animal v. g. maneat Universalis in actuali prædicatione, an retineat Universalitatem in propositione vera, &c. esse questionem de nomine:

vel enim supponitur, illud esse in propositione vera ut Universalis; & hoc non, quia suppositum istud est falsum, eo quod Universalis ut tale, semper sit aliquid superius, vel saltem commune multis; superius verò ut superius, nequit verificari de inferiori: vel supponitur illud non esse in propositione vera, ut Universalis, sed ut æquale tantum, quod ex sæpius dictis omnino supponi debet; quo dato, omnino manifestum est, naturam Universalem ante actuale prædicationem, non esse Universalem in actuali prædicatione, & hoc sensu, in actuali propositione vera Universalitatem non retinere.

CCCLVI. Suppono 3^o. certum esse, naturam Universalis, ut substantem apprehensioni simplicis termini, quam præsupponit iudicium illam prædicans de inferiori, manere Universalis eadem propria sua Universalitate; & rectè dici, naturam ex parte illius Universalis prædicari: nam sicut talis apprehensio propter superveniens iudicium prædicans, non magis mutatur, quam si illud abesset, quia ab illo non attingitur; ita nec natura Universalis, per ordinem ad illam, magis mutat Universalitatem, quam si illud abesset. His suppositis, sit

R E S O L U T I O.

CCCLVII. Dico, natura, quæ erat Universalis immediate ante actuale de singulari prædicationem veram, non est Universalis in actuali prædicatione, & hoc sensu Universalitatem in actuali prædicatione non retinet: si tamen dicas, iudicium naturam Universalis prædicans, illius Universalitatem non attingere, ac proinde naturam illam Universalitatem retinere; tecum non contendam, modo tantum velis, naturam, quæ est in actuali prædicatione, retinere Universalitatem sub apprehensione, de qua supposito 3^o. quomodo non est in actuali prædicatione; & eam non retinere, five non habere sub iudicio prædicante, quomodo est in actuali prædicatione.

CCCLVIII. Probatur Resolutio, quia natura Universalis, ut subicitur, non est Universalis, ut infra de Specie subicibili probabitur: ut autem verè prædicetur, debet esse æqualis subiecto, ut Dub. 3^o. supra probatum est, ergo, &c. consequentia patet ex præsuppositis.

D V B I V M V.

An Genus possit immediate individuari sub conceptu.

CCCLIX. Sensus dubii est, an possit intellectus ita confusè concipere plura individua, v. g. *hunc canem & hunc leonem*, ut non distinguat, an sint Specie distincta, nec ne; five ita ut ex parte sua non attingat prædicata, quibus inter se Specie distinguuntur. Hoc præmissio, sit

R E S O L U T I O.

CCCLX. Dico, potest Genus immediate individuari sub conceptu. Probatur, quia, qui minus videt *hunc canem* vel *hunc leonem* moveri motu progressivo, si illum confusè cognoscat, dicit; *id, quod movetur, est hoc animal*, abstrahendo à prædicato, quo ab aliis Specie distinguitur; at qui illo casu, Genus immediate individuatur sub conceptu;

conceptu; ergo, &c. Probatur minor, quia sub ipsius conceptu inter Genus & hæccitatem nihil mediat: nam dicere non potest, an animal, quod videt moveri, sit latrabile & canis; an rugibile & leo; ergo, &c.

CCCLXI. Confirmatur 1^o, ex communi modo loquendi; sæpè enim dicimus, *hec caro est bona, hic fructus est pulcher*, ignorando illius differentiam specificam, an v. g. caro sit bovina, an cervina; an fructus sit pomum, an pirum, ergo, &c.

CCCLXII. Confirmatur 2^o. Genus potest immediate individuari à parte rei, ut Dub. 7^o. probabitur, ergo à fortiori sub conceptu.

CCCLXIII. Obijcies tamen 1^o, res non potest concipi sine sua essentia; sed Species est tota essentia individui; ergo individuum non potest concipi sine Specie, & consequenter Genus non potest immediate individuari sub conceptu.

CCCLXIV. Respondeo distinguendo majorem: res non potest concipi sine sua essentia; si ly sine sumatur in actu signato, seu ex parte objecti; quasi res ex parte sua esset sine sua essentia integra, vel parte illius, concedo minorem: si ly sine sumatur in actu exercito seu ex parte actus confusè in objectum suum tendentis, nego minorem: id enim fieri posse, ipsa experientia docet, neque id aliud est, quàm rem totam concipi confusè, & non distinctè.

CCCLXV. Obijcies 2^o inter Genus & quodlibet individuum interjacet conceptus specificus; ergo Genus non potest immediate individuari sub conceptu.

CCCLXVI. Respondeo distinguendo antecedens: inter Genus & quodlibet individuum interjacet conceptus objectivus specificus sive Species fundamentalis & ex parte objecti, transeat antecedens: negari enim potest 1^o, quia inter Genus & individuum Genericum immediate à parte rei individuum, nullus interjacet conceptus objectivus specificus; 2^o, quia conceptus specificus objectivus est objective saltem unus cum generico & individuali: unde propriè non interjacet: interjacet conceptus specificus distinctus formalis sive Species formalis & ex parte actus, nego antecedens; contrarium enim experientia docet.

D V B I V M VI.

Quomodo Genus sit prædicabile de individuis genericis & sibi immediatis.

CCCLXVII. Sensus dubii est, an animalitas v. g. (nam dubium procedit de denominatis Generis, quæ juxta dicta Dub. 3. sumi debent in abstracto) de hoc & hoc animali immediate individuatis sit prædicabilis, ut Genus, an ut Species. Sed

Antè Resolutionem

CCCLXVIII. Suppono 1^o, individuum esse duplex, genericum unum seu incompletum, quod est Genus restrictum per particulam *hoc*, & dicitur incompletum; quia ex parte conceptus confusi, hæccitas non conjungitur cum differentia, media essentiali, ut v. g. hoc animal, ubi ly *hoc* non conjungitur cum rationali, vel irrationali, quæ est differentia media inter hoc vivens sensitivum sive hoc animal, & vivens sensitivum sive animal; nam

animalium, aliud est rationale, aliud irrationale. Alterum specificum seu completum, ut hic homo, Petrus &c. quod est Species restricta per particulam *hoc*; & dicitur completum ex parte conceptus, quia omnes gradus hæccitatis superiores includit, nam, ut patet, inter hunc hominem & hominem, nihil essentialiale mediat.

CCCLXIX. Suppono 2^o, quod esse prædicabile ut Genus, sit esse unum aptum prædicari de multis *in quid* ut pars materialis, ut supra Dub. 2^o, dictum est. Item quod prædicabile ut Species, sit esse unum aptum prædicari de multis *in quid*, ut tota essentia, id est, ita ut prædicabile totum actu dicat, quod dicunt illa multa, de quibus aptum est prædicari, exceptis hæccitatibus ipsorum, quas Philosophi pro nihilo reputant; quia solius essentialis Universalis, sive ejus, à quo dimanant prædicata communia, habent rationem: in rigore tamen sunt aliquid distinctum ab essentia Speciei, & constituunt essentiam singularem; alioqui Species, respectu individuum, non esset prædicabilis de multis. Unde, hoc totum spectat ad modum loquendi Philosophorum, de quo aliquid dicemus di. p. 4. de Specie. His suppositis, sit

R E S O L U T I O.

CCCLXX. Dico Genus de individuis genericis, & sibi immediatis, est prædicabile ut Species, & immediate 1^a pars est contra P. Mendozam. 2^a contra P. Joannem à Sancto Thoma & Thomistas communiter, item contra P. Comptonum nuperum, Log. Dis. 33^a. Sect. 6^a.

CCCLXXI. Probatur: esse prædicabile ut Speciem, est esse unum aptum prædicari de multis *in quid*, ut tota essentia; & esse prædicabile immediate, est esse prædicabile nullo mediante prædicato essentiali; sed animalitas respectu hujus & hujus animalis, est talis; ergo, &c.

CCCLXXII. Confirmatur: animalitas se habet ad hoc & hoc animal, sicut humanitas ad Petrum & Paulum; sed humanitas de Petro & Paulo est prædicabilis ut Species & immediate; ergo & animalitas de hoc & hoc animali.

CCCLXXIII. Obijcies tamen 1^o. Genus semper est quid incompletum & pars materialis respectu eorum, de quibus aptum est prædicari; ergo non potest de illis esse prædicabile ut Species sive completè, & ut tota essentia.

CCCLXXIV. Resp. distinguendo antecedens, Genus ut Genus reduplicativè, & respectu individuum specificorum ac mediatorum, semper est quid incompletum, concedo antecedens; specificativè, & respectu individuum genericorum ac sibi immediatum sub conceptu, nego antecedens. Sic etiam Differentia, reduplicativè quidem ut Differentia, & respectu individuum completorum, semper est quid incompletum, ut v. g. rationalitas respectu Petri & Pauli; specificativè tamen, & respectu individuum speciei incompletorum, ut v. g. rationalitas respectu hujus & hujus rationalis, est Species.

CCCLXXV. Instabis ex Patre Comptono: Genus ita prædicatur completè respectu individui incompleti, ut maneat aptum incompletè prædicari de Specie, ergo tam de individuis incompletis ac genericis, quàm de completis prædicatur ut Genus.

CCCLXXVI.

CCCLXXVI. Respondeo negando consequentiam, quia ex antecedente tantum sequitur, de individuo completis & specificis prædicari ut Genus; non verò de incompletis & genericis, de quibus jam agimus.

CCCLXXVII. Obijcies 2^o. dum animal prædicatur, de hoc animali; prædicatur ut totum potentiale, ergò ut Genus. Probatur antecedens; quia prædicatur, ut non magis homo, quam brutum, adeoque ut contrahibile per differentias oppositas, quod est, esse totum potentiale, ergò, &c.

CCCLXXVIII. Respondeo negando antecedens, juxta dicta contrà P. Oviedum Resol. 3^a. Dub. 3^o. Deinde, etiamsi animal de hoc animali prædicaretur, ut non magis homo, quam brutum, non sequitur prædicari ut totum potentiale; nam hoc animal in hac prædicatione, *hoc animal est hoc animal*, prædicatur ut non magis homo, quam brutum, quia non magis dicit rationalitatem, quam irrationalitatem, sed ab utraque abstrahit, sive concipitur sine utraque; non tamen prædicatur ut totum potentiale; quia totum potentiale minus dicit actu essentialiter, quam id, de quo aptum est prædicari ut totum potentiale; hoc animal verò, imò etiam animal non minus dicit essentialiter (puta *Universaliter*, modo disp. 4^a. de Specie Dub. 5. explicando) actu, quam hoc & hoc animal, sed ad illa se habet, sicut homo ad Petrum & Paulum.

CCCLXXIX. Obijcies 3^o. animalitas ita est prædicabilis de hoc & hoc animali, ut remaneat potentia homo & brutum; ergò est prædicabilis de hoc & hoc animali ut Genus, & non ut Species. Probatur consequentia, quia genus duntaxat, & non Species, est potentia homo & brutum.

CCCLXXX. Respondeo distinguendo antecedens: animalitas ita est prædicabilis de hoc & hoc animali; ut remaneat potentia homo & brutum, spectata præcisè, ut prædicabilis de hoc & hoc animali, nego antecedens: nam sicut hoc & hoc animal non sunt potentia homo & brutum; ita nec animalitas spectata præcisè ut prædicabilis de illis, remanet potentia homo & brutum. Spectata secundum totam latitudinem suæ suppositionis, concedo antecedens; quia ut sic est prædicabilis, non tantum de individuis genericis & immediatis; sed & de homine & bruto specie differentibus.

CCCLXXXI. Respondeo 2^o & melius, concessio antecedente, negando consequentiam; ad ejus probationem distinguo; Genus duntaxat, & non Species est potentia homo & brutum, si sit sermo de eo, quod est Species tantum, concedo consequentiam; si sit sermo de eo, quod est Species respectu individuorum immediatorum, & Genus respectu hominis & bruti, sive specierum sibi inferiorum, nego consequentiam: animalitas verò est Species & Genus diverso respectu supra allato.

DUBIUM VII.

An possit Genus immediate individuari à parte rei.

CCCLXXXII. Sensus Dubii est, an dari possit *hoc animal v.g. (nam dubium procedit de denominatis Generis) sive hoc vivens sensitivum*, separatim ab homine & bruto, à parte rei, id

est, quod nec sit individuum humanum, nec brutale à parte rei; sic ut hæc ceitas hujus animalis fundet negationem identitatis ab alio animali, prout Petreitas fundat negationem identitatis Petri ab alio homine. Quare, dubium non procedit, an Genus ut Genus formaliter, possit immediate individuari à parte rei; sed materialiter tantum, an v. g. possint dari à parte rei in individuo prædicata essentialia animalis sine differentia specifica intermedia, puta rationalitate, aut irrationalitate. Hoc præmissio, sit

RESOLUTIO.

CCCLXXXIII. Dico, contrà Recentiores communiter, & nominatim P. Ponticium, qui hanc quæstionem in terminis hic agit. Potest Genus immediate individuari à parte rei, saltem Divinitus.

CCCLXXXIV. Probatur 1^o, quia, re bene examinata, in eo nulla apparet repugnantia, ut solutione Argumentorum patebit; atqui ea, in quibus nulla apparet repugnantia, sunt possibilia, ergò, &c. Minor probatur in Physica.

CCCLXXXV. Probatur 2^o, non repugnat, dari hanc animam mediam inter rationalem & irrationalem, quæ sit hæc vivens sensitiva tantum; ergò non repugnat dari hoc animal medium inter rationale & irrationale, quod sit hoc vivens sensitivum tantum; ac per consequens Genus immediate individuatum à parte rei. Consequentia patet, quia talis anima esset tale animal, realiter & à parte rei; sicut hæc anima hominis, realiter & à parte rei, est hoc animal rationale: hæc anima bruti, realiter & à parte rei, hoc animal irrationale; eò quod illa sit hæc vivens sensitiva rationalis; hæc verò anima bruti, hæc vivens sensitiva irrationalis.

CCCLXXXVI. Nec dicas, hanc animam non esse hoc animal; 1^o, quia hoc animal debet esse corporeum; 2^o, quia Genus sumitur à materia, non autem à forma: nam

CCCLXXXVII. Ad 1^{am}. Respondeo hoc animal quidem, quatenus actu sentiens, debere esse corporeum; quia ut sic, includit organa corporea tamquam instrumenta sensationis, per quam denominatur actu sentiens; non tamen quatenus sensitivum, seu quatenus principium sentiendi, quomodo tantum est realiter idem quod anima: nam principium sentiendi identificatur animæ, non corpori. Deinde, etiamsi daretur, quod hoc animal deberet esse corporeum, optimè intelligitur, quod hæc anima sit corporea, hoc ipso quod habet partes extensas, & à corpore pendet tamquam à causaeductiva, prout pendet hæc anima bruti.

CCCLXXXVIII. Ad 2^{am} verò Respondeo, istius Axiomatis, *Genus sumitur à materia*, hunc sensum esse: Genus imitatur materiam, id est, Genus est determinabile per unam saltem differentiam communem Logicam; sicut materia per unam saltem differentiam Physicam; sive interim Genus realiter sit forma, sive materia.

CCCLXXXIX. Probatur antecedens probationis 2^a. tota realitas & essentia hujus animæ viventis sensitivæ salvari potest, posita impossibilitate alterutius animæ, rationalis vel irrationalis, ergò & posita impossibilitate utriusque. Probatur consequentia, quia non magis à possibilitate unius, quam à possibilitate alterius pendet: antecedens patet, quia

quia de facto tota in una earum reperitur; alioqui Petrus & Buccephalus includerent aliquid realiter idem; & per consequens, non distinguerentur realiter adaequate; contra experientiam; ergo, &c.

ccclxxx. Respondebis fortè, negando consequentiam, propter hanc rationem; quia licet, ut videam, non magis pendeam ab oculo sinistro, quam à dextro determinatè; pendeo tamen ab alterutro indeterminatè & confusè. Vnde hic similiter, licet tota realitas & essentia hujus animæ viventis sensitivæ salvari possit, posita impossibilitate alterutrius, animæ rationalis vel irrationalis; tamen, ut salvetur, pendet ab alterutra indeterminatè & confusè. Sed

ccclxxx. Contra 1^o. disparitas est, quod alteruter oculus sit instrumentum necessarium videndi; sicut unus omnium equorum, hic vel ille, est pars essentialis equitantis: rationale autem vel irrationale non est instrumentum necessarium, vel pars essentialis hujus animæ viventis sensitivæ, sive hujus animalis; nam rationale & irrationale se habent ad hanc animam viventem sensitivam, consideratam in statu possibili, sicut album & nigrum ad parietem; siquidem rationale & irrationale non minus sunt extrà essentiam Physicam anime viventis sensitivæ tantum possibilis, quam album & nigrum extrà essentiam Physicam parietis. Vnde sicut paries esse potest, & non esse albus aut niger, ita hæc anima vivens sensitiva possibilis potest produci, & non produci rationalis aut irrationalis.

ccclxxxii. Contra 2^o, non est assignabilis ratio, ob quam dicatur hæc anima vivens sensitiva possibilis pendere à possibilitate alterutrius animæ viventis sensitivæ rationalis, vel irrationalis.

ccclxxxiii. Non hæc, nempe, quia alteruteri identificatur; nam id solum verum est, de existente, non de possibili; imò de existente (saltem irrationali) satis dubium est, ut statim patebit.

ccclxxxiv. Neque hæc, nempe quia, ut existat, debet esse ens Physicè completum; nam anima rationalis existit naturaliter separatim ab omni subjecto, & materia separatim ab omni forma; natura tamen est ens Physicè completum.

ccclxxxv. Nec magis hæc, quia ab illis accipere debet singularitatem; nam cætera entia eam habent ab entitate propria; ergo & ipsa: nec ulla alia apparet ratio, ergo, &c.

ccclxxxvi. Probatur 3^o. Materia 1^a (ut suppono ex Physica) potest naturaliter 1^o. produci sine omni forma, & naturaliter existere sine omni forma. Item hæc anima vivens sensitiva potest existere naturaliter (ut constat ex statu separationis animæ rationalis à corpore) sine omni corpore humano & brutali, ergo & hoc animal, sive hæc anima vivens sensitiva sine rationalitate vel irrationalitate. Probatur consequentia, quia non magis à rationalitate vel irrationalitate pendet, quam materia à forma, aut quam hæc anima vivens sensitiva ab aliquo corpore, humano vel brutali, ergo, &c.

ccclxxxvii. Respondent nonnulli, esse disparitatem, videlicet, quod gradus genericus identificetur specifico, animal v. g. huic homini vel huic bruti; non item materia formæ, vel a-

nima sensitiva huic corpori humano aut brutali. Sed

ccclxxxviii. Contra, tales advertere debuissent dubium procedere de gradu generico animalis possibili, ejusdem rationis cum existente in Petro & Buccephalo; non verò de actuali & in illis realiter existente, quem satis constat illis identificari; ac proinde non posse ab illis separari. Numquid hoc ens consideratum ut possibile, licet ut actu existens, de facto Petro v. g. realiter identificetur, potest realiter extrà Petrum, & à Petro separatim reperiri? nullus rationabiliter negabit; quia sicut de facto in hoc lapide extrà Petrum reperitur, ita & extrà Petrum à possibilitate ad existentiam trahi posset. Idem dic de anima illa sensitiva; & attende, nos solum velle, Genus in nonnullis contrahi per differentiam specificam, in aliis per individualementem.

ccclxxxix. Addo tamen, istud animal, sive istam animam sensitivam tantum, in casu conclusionis, non fore gradum Metaphysicum; sed ens incomplectum Physicum; quia verè realiter & à parte rei existeret, & ante omnem intellectum. Vnde hoc dubium, non tam ad Logicam pertinet, quam ad libros de Anima: licet hic communiter ab omnibus tractari soleat.

cccc. Probatur 4^o. secundum eos, qui admittunt animarum successionem in generatione hominis; embrio 1^o animatur animâ vegetativâ, quâ pereunte animatur animâ vegetativâ & sensitivâ simul, & nondum animâ rationali aut irrationali; sed illo casu, embrio est hoc animal, & non hic homo vel hoc brutum; ergo est Genus immediatè individuatum.

cccci. Responderet aliquis, embrionem esse Speciem quandam animalis incompleti distinctam ab homine & bruto; sed frustra, quia cum Species illa incompleta nihil addat supra Genus, non distinguitur à Genere. Vnde respondere, embrionem esse speciem quandam animalis incompleti distinctam ab homine & bruto, est respondere esse Genus distinctum à specie; quod frustra responderetur, nec quidquam contra probationem continet; sed potius illam confirmat, admittens hunc embrionem esse hoc Genus immediatè individuatum, sive individuum immediatum sub embrione, qui Genus est.

cccci. Confirmatur. Quodlibet Genus potest contrahi immediatè ad speciem aliquam per differentiam istius generis contrahibilem nobilissimam, ergo & per ignobilissimam, nempe hæc existat. Assumptum probabitur in Physica Disp. de infinito Dub. 5^o.

SOLVITIO OBJECTIONVM.

ccccii. Objicies 1^o. Achillem Adversariorum. Isti generi à parte rei immediatè individuatò v. g. huic animali, repugnaret esse hic homo, vel hoc brutum, & non repugnaret; sed id contradictoriè repugnat; ergo & illud individuum dari à parte rei.

ccccciv. Probabis majorem pro 1^a parte 1^o, quia alioqui tale individuum non haberet essentiam in se certam & determinatam, sed in hoc homine tantum vel hoc bruto; neque certas & determinatas operationes, sed esset indifferens ad operandum rationabiliter vel irrationabiliter. 2^o, quia alioqui posset

posset successivè esse aliud, quàm antè fuisset, puta hic homo, vel hoc brutum, & sic posset consequenter dari transitus de Specie ad Speciem, duæ Species in unam coalescere, &c. quod favet hæresi dicenti, in Christo Naturam humanam & Divinam in unam coaluisse.

cccciv. Probatur major pro 2^a parte: quia, si repugnaret: vel repugnaret propter rationem animalis præcisè: vel propter Differentiam numericam sive propter illius singularitatem positivam: vel propter negationem hujus hominis & hujus bruti, in singularitate talis individui fundatam; vel in ratione animalis immediatè.

ccccv. Non propter rationem animalis; quia ratio animalis ejusdem planè rationis, identificata in hoc homine, & hoc bruto sinè tali repugnantia reperitur.

ccccvi. Non etiam propter singularitatem positivam; 1^o quia illa solum facit repugnare, ut, quod est hoc, non possit esse illud numero; non verò ut, quod est hoc, non possit esse hujus vel illius Speciei, hic homo v.g. aut hoc brutum; ut constat ex singularitatibus Petri & Pauli, ratione quarum inter se quidem repugnant, ne sint idem numero; non verò, ne sint ejusdem Speciei. 2^o quia si singularitas sive Differentia individualis faceret repugnare tale Individuum esse hunc hominem vel hoc brutum, non esset Differentia individualis; sed specifica: quia illa ratio, in qua conveniunt plura Individua, & per quam differunt à qualibet Specie, est Differentia specifica; sed Differentia individualis esset talis, ergò, &c.

ccccvii. Non propter negationem hujus hominis & hujus bruti in singularitate talis Individui fundatam; 1^o quia, cum deberet potius exigere esse hic homo, vel hoc brutum, quàm id non esse; talem negationem non haberet. 2^o quia repugnantia illa debet esse positiva, utpotè entis positivi.

ccccviii. Non denique propter negationem hujus hominis & hujus bruti in ratione animalis immediatè fundatam; quia ratio animalis secundum se est indifferens ut sit in homine vel bruto.

SOLUTIO I.

ccccix. **R**esp. 1^o retorquendo Achillem illum in Adversarios, qui admittunt, posse Genus immediatè individuari sub conceptu. Huic animali, Generi immediatè individuato sub conceptu, repugnaret esse hic homo vel hoc brutum sub conceptu, & non repugnaret: sed id contradictoriè repugnat; ergò & dari Genus immediatè individuatum sub conceptu.

ccccx. Probatur major pro 1^a parte, 1^o quia alioqui tale Individuum non haberet sub conceptu essentiam in se certam & determinatam; sed, &c. 2^o quia alioqui posset successivè esse sub conceptu aliud, quàm antè fuisset, &c. non enim minùs repugnat Individuum ut tale Individuum v.g. hoc animal, non habere essentiam determinatam sub conceptu, quàm à parte rei; esse successivè aliud sub conceptu, quàm antè fuisset: quàm esse successivè aliud à parte rei, quàm antè fuisset.

ccccxi. Probatur major pro 2^a parte 1^o. quia si id sub conceptu repugnaret: vel repugnaret propter rationem animalis præcisè: vel propter Differentiam numericam sive illius singularitatem positivam: vel propter negationem hujus hominis, & hujus bruti, &c. Non propter rationem animalis, quia

R. P. Francisci Bone Spei Logica,

ratio animalis ejusdem planè rationis in Petro & Paulo sinè tali repugnantia sub conceptu identificata reperitur. Eodem modo applica cætera.

SOLUTIO II.

ccccxii. **R**espondeo 2^o negando majorem pro 1^a parte: ad 1^{am} autem probationem majoris pro 1^a parte Respondeo, quòd etiam si istud animal posset Physicè inadæquatè fieri vel hic homo, vel hoc brutum; non idèò tamen haberet essentiam magis indeterminatam, quàm materia 1^a, aut quàm anima rationalis, vel irrationalis. Sicut enim, si materia 1^a conjungatur huic animæ rationali ex utraque sit hic homo; ita, si istud animal, sive ista anima vivens sensitiva tantum, conjungeretur cum hac anima rationali tantum, & hæc utraque cum hoc corpore, fieret hic homo. Pro hujus clariori intelligentia

ccccxiii. Adverte, per Deum produci posse 1^o hanc animam viventem tantum. 2^o hanc animam vegetativam tantum. 3^o hanc animam sensitivam tantum: quidni & hanc animam rationalem tantum; & denique hanc animam irrationalem tantum? Ratio nostra est 1^o quia in eo nulla apparet repugnantia, 2^o quia sicut gradus substantiæ possibilis, sub præcisione ab hæccitate & secundum se spectatus, modò producitur paucioribus, ut in Michaële, modò pluribus, ut in Petro, Differentiis contrahentibus essentialibus identificatus; ita similiter anima possibilis potest modò paucioribus, ut in hac arbore, modò pluribus, ut in Petro, Differentiis contrahentibus essentialibus identificata produci; ac proinde, modò identificata vitæ tantum; modò vitæ & vegetativitati, modò vegetativitati tantum, & sic de aliis: nam, si anima possit produci sinè Differentiis contrahentibus & inferioribus, quibus in alio ente identificata est; poterit & sinè superiorum aliqua, cui in alio ente etiam identificata est: quia anima non videtur ex natura sua habere majorem connexionem cum una Differentia ex illis, quàm cum alia.

ccccxiv. Ad 2^{am} probationem majoris pro 1^a parte Respondeo negando sequelam: non enim ex eo, quod hæc materia 1^a modò conjuncta cum hac anima rationali; modò cum hac anima irrationali, possit esse hic homo vel hoc brutum successivè; sequitur illam posse esse successivè aliud, quàm fuerit essentialiter; nam sive in composito, sive extrà, semper manet essentialiter eadem materia; licet, adveniente hæc vel illà formà & unione, sit hic homo, vel hoc brutum inadæquatè essentialiter. Idem dic de hoc animali, sive de hac anima vivente sensitiva tantum, in proposito, adveniente hæc vel illà anima rationali vel irrationali tantum, & corpore. Ad id verò, quod subjungitur, sic posse fieri transitum de Specie ad Speciem, duas Species in unam coalescere, &c. patet omnino esse falsum: nam neq; hæc materia 1^a, neque hæc anima mutat Speciem per hoc, quòd modò in uno composito; modò in alio sit: neque per hoc, quòd hoc corpus & hæc anima faciant hunc hominem, coalescunt in unam Speciem; licet una Species completa ex illis remanentibus in sua Specie incompleta & ab invicem adæquatè realiter distinctis, fiat una tertia completa. Vnde nostra Responsio multum distat ab hæresi Eutyctetis, sive Eutyctianismo, docente naturam humanam & Divinam in Christo factas unam realiter, per commutationem & de-

H

sitionem.

sitionem utriusque in tertiam; cui nihil simile hic docemus; sed e contra, utramque realiter distinctam remanere, & facere hunc hominem v.g. prout docet & definit Lateran. Cap. *Firmiter. Christum esse unam in Duabus Naturis Personam: Numquam*, ut docet Chalcedonenfe contra præfatum Eurychetem, *sublatâ Differentiâ Naturarum propter unionem*.

ccccxv. Instabis, ad hoc, ut hoc animal sive hæc anima vivens sensitiva tantum, foret hic homo, vel hoc brutum, simul cum cæteris compartibus; deberet informari hæc animâ rationali vel irrationali; & illâ informata conjungi corpori; sed hoc nullus admiserit, ergo, &c.

ccccxvi. Probatur minor, quia utraque anima, rationalis & irrationalis, dicit in suo conceptu hoc animal, sive hanc animam viventem sensitivam; unde si hæc anima vivens sensitiva informaretur hæc animâ rationali, vel irrationali, poneretur secundò in eo, quod cum corpore componeret, quod est superfluum; & anima esset forma sui ipsius, quod est absurdum, ergo, &c.

ccccxvii. Respondeo, admissâ maiore, negando minorem; ad ejus probationem Respondeo, animam quidem rationalem hominis aliquandò existentis dicere in suo conceptu hoc animal, juxta illud 8^a Synodi Constantinop. Generalis 4. *Apparet, quosdam id temporis in tantum impietatis venisse, ut duas in homine animas imprudenter dogmatizent, quos omnes, & similia sentientes, cum veteris, & novum Testamentum, & omnes Ecclesia Patres unam animam in homine rationalem asseruerint, Sancta Universalis Synodus anathematizat*. Vnde puto oppositam doctrinam esse erroneam, quidquid dixerit Percirali b. 4^o. in Genes. Nihil tamen simile de anima rationali aliis hominis merè possibile, vel saltem de anima irrationali à SS. Patribus dictum, & multò minus ab Ecclesia definitum, legitur: imò communis est doctrina Medicorum & Aristotelis lib. 2^o. *De generat. animalium*, foetum 1^o vivere animâ sive vitâ plantæ; postea vitâ animalis, & tandem vitâ hominis. Vnde docuerunt Philopponus, & verisimiliter Okam Quodlib. 2^o. in homine esse tres animas realiter distinctas; vegetativam scilicet, sensitivam & rationalem: quod de alio homine merè possibili, & fortè de bruto existente, sic ut in illo sit anima vegetativa tantum, sensitiva tantum & boativa tantum v.g. verè puto: (de quo in Libris de Anima) de homine verò aliquando existente, erroneum, propter Authoritatem Ecclesiæ & SS. Patrum. Vnde patet ad Instantiâ; nempe, hanc rationalem animam merè possibilem, & aliam ab extituris aliquando in hominibus, & fortè hanc animam irrationalem de facto existentem, non dicere in suo conceptu hoc animal, sive hanc animam viventem sensitivam; ac proinde si illa hanc informaret & simul cum corpore componeret, vel hunc hominem, vel hoc brutum, anima sensitiva non secundò, sed semel duntaxat poneretur in hoc homine, vel hoc bruto.

ccccxviii. Urgebis: saltem in eodem composito essent duæ animæ; sed hoc est superfluum, ergo, &c.

ccccxix. Respondeo distinguendo maiorem, saltem in eodem composito essent duæ animæ ejusdem rationis, completæ, totales, & non subordinatæ, nego maiorem. Diversæ rationis, incompletæ, partiales & subordinatæ, concedo maiorem: sed id non est magis absurdum & superfluum, quam quòd in eodem corpore sint plures formæ

partiales ossis, carnis, nervi, &c. uni totali subordinatæ, prout de facto naturaliter esse, communius admittitur. Nos autem solum dicimus, id esse merè possibile, per Divinam potentiam (cui nihil finè evidenti contradictione negandum est) non repugnare, &c.

SOLUTIO III.

ccccxx. Respondeo 3^o negando maiorem pro 2^a parte, videlicet quòd non repugnaret. Ad ejus probationem Respondeo, quòd repugnaret ratione negationis communicabilitatis huic homini, vel huic bruto, immediatè fundatæ in objectiva & reali Physica entitate hujus animalis; quæ cum sit intrinsecè indivisibilissima, est indivisibilissimè intrinsecè hoc animal; nec intrinsecè habet aliquid, quod illam negationem fundet, & aliud, quòd illam non fundet, ut patet. Vnde licet fortè argumentum illud pro parte ista vim habeat contra Scotistas & Thomistas, contra nos tamen nihil virium habet.

ccccxxi. Dices, ista anima sensitiva tantum, & hæc anima sensitiva hujus animæ rationalis existentis, non sunt ejusdem rationis sive Speciei, ergo ista anima sensitiva tantum, non est Genus immediatè individuatam à parte rei. Probatur consequentia, quia Genus illius non est contrahibile per Differentiam aliquam specificam, sive prædicabile ut pars materialis, quod requiritur ad Genus immediatè individuatam à parte rei. Probatur antecedens 1^o. quia illa identificator soli hæceitati; hæc verò etiam rationalitati. 2^o quia ista anima sensitiva tantum, dicit sensitivum, cui repugnat ulterior Differentia specifica; anima verò sensitiva hujus animæ rationalis existentis, dicit sensitivum, cui non repugnat ulterior Differentia specifica, ergo non sunt ejusdem rationis. Sumitur ex Doctissimis PP. nostris Complut. Disp. 6. de Specie q. 3.

ccccxxii. Respondeo negando antecedens, ad ejus probationem 1^{am} Respondeo (præterquam quòd dici possit, gradum possibilem superiorem, talem esse, ut divisim identificari possit Differentiis specificis, vel individualibus tantum: unde corrui totum argumentum; quod videtur falso supponere, dari gradum communem indivisum & intrinsecè unum contrahibilem ad hominem & brutum v. g. cum tota plurium in gradu communi unitas & indivisio sit ab intellectu; ut Disp. 2^a vidimus, & natura una, non sit ex parte objecti identificabilis aliis; quàm Individuo, cui de facto ex parte objecti identificata est) gradus superiores non diversificari essentiâ sive Specie penes hoc, quòd pluribus vel paucioribus Differentiis contrahentibus identificentur, vel non identificentur: quia Differentiæ contrahentes sunt extrâ essentiam illius, quod contrahitur. Deinde, si gradum superiorem identificari hæceitati tantum, & identificari rationalitati & hæceitati, faciant gradus diversæ rationis; identificari viventi vegetativo tantum & hæceitati, ut in arbore, & identificari viventi vegetativo sensitivo & hæceitati, ut in hoc embione, vel viventi vegetativo sensitivo rationali & hæceitati, ut in Petro, facient gradum corporis Specie distinctum & diversæ rationis in hac arbore, & hoc embione, & Petro; & gradum animalis in hoc embione & Petro, quod cavebunt Adversarii.

ccccxxiii. Ad probationem 2^{am} antecedentis distinguo, hæc anima sensitiva tantum, dicit sensitivum, cui repugnat ulterior Differentia specifica,

ex repugnantia quadam in gradu communi fundata, nego: quia omnis gradus communis huius animæ viventis sensitivæ tantum, reperitur in homine & bruto. Ex repugnantia quadam in gradu individuali sive hæccitate fundata, concedo: tota enim repugnantia est 1^o, quia sensitivum in hac anima vivente sensitiva tantum, est indivisibiliter intrinsecè unum & idem cum hæccitate, cui repugnat fieri non tantum aliud numero, sed quidquid est in alio; ac proinde gradum specificum alius entis realiter distincti, quatenus ille est indivisibiliter intrinsecè unum & idem cum sua hæccitate. 2^o, quia repugnat, hæccitatem unam fieri aliam, etiam in ipsorum sententia.

ccccxiv. Nec dicas, hinc fore ut duarum similiarum animarum hæccitates in eo conveniant, quod fundent repugnantiam ad hoc, ut identificentur supra sensitivum ulteriori Differentiæ specificæ; & à cæteris differant, quod illa non fundent talem repugnantiam. Quia etiam si hoc totum ultro admitteremus, non tamen sequeretur, illas hæccitates fundare Differentiam aliquam specificam, in qua convenirent inter se, & disconvenirent à cæteris (ut communiter obijcitur) alioqui Petreitas & Pauleitas etiam fundarent Differentiam specificam distinctam à rationalitate (contrà suos Authores, qui docent rationale in homine debere ita sumi, ut illi repugnet ulterior Differentia specifica) nam in eo convenirent, quod fundarent repugnantiam ad hoc ut identificentur Cajo & Titio, v. g. & à Cajo & Titio differant, quod ipsi non fundarent talem repugnantiam. Item in hoc convenirent, quod ipsi non fundarent talem repugnantiam ad hoc, ut identificentur, supra sensitivum, ulteriori Differentiæ specificæ, & in eo disconvenirent ab illis duabus animabus, de quibus antè, quod talem repugnantiam fundarent. Hinc

ccccxv. Colliges, Differentiam specificam distinctam ab hæccitate, non esse quodlibet prædicatum fundans convenientiam inter aliqua entia, & disconvenientiam ab aliis; sed prædicatum aliquod ex parte actus præseidentis, commune positivum, in quo multa individua inter se sub conceptu conveniunt, & à cæteris sub conceptu disconveniunt; hæccitas verò, & quidquid in hæccitate fundatur, non potest esse tale prædicatum; alioqui, quod est præcississima ratio disconvenientiæ, esset ratio convenientiæ, quod intelligi non potest. Deinde falsum est, quod illæ hæccitates conveniant in

eo, quod fundent repugnantiam aliquam à se distinctam, sed sunt ipsissima repugnantia: & sicut sunt à se invicem intrinsecè summe distinctæ, ita nullatenus in illa repugnantia inter se conveniunt, sed summe disconveniunt.

ccccxvi. Obijcies 2^o. si posset unum Genus immediatè individuari à parte rei, posset quodlibet; si v. g. Posset dari hoc animal, quod nec esset hic homo, nec hoc brutum; posset dari hoc ens, quod nec esset realiter creatum, nec realiter increatum; nec substantia, nec accidens: item hæc substantia, quæ nec esset corpus, nec spiritus: hoc corpus, quod nec esset animatum, nec inanimatum: quæ sunt absurda, ergo, &c. Antecedens tenet ab omnimoda paritate rationis.

ccccxvii. Respondeo, 1^{am} sequelam esse falsam, cæteras veras, & sine absurdo admitti posse: si enim gradus entis possit produci realiter sine substantia, quidni & sine accidente: si substantia sine spiritu, quidni & sine corpore, & sic de cæteris; præsertim, si attendas ad hoc, quod Aristoteles & Medici, supra, doceant, illos gradus vegetativum, sensitivum & rationale, inter se realiter distingui, & consequenter alios superiores inter se, ut v. g. gradum entis à substantia, substantiæ à corpore, corporis à vivente, &c. quia videtur esse paritas inter hos & illos, & id aperte confirmat nostram sententiam, dum solum dicimus, talem distinctionem, (quam de facto in anima rationali & similibus negamus) dari saltem posse inter gradus entium mere possibilem, quod sine absurdo admitti potest, ut supra vidimus.

ccccxviii. Dixi 1^{am} sequelam esse falsam, quia illud Genus immediatè individuatum, vel esset Deus, vel esset immediatè individuatum à Deo? non 1^{um}. quia Genus immediatè individuatum, est, saltem unâ perfectione, mancum; Deus verò summe & in omni Genere entis perfectus. Non 1^{um}, quia esse à Deo immediatè individuatum, est esse creatum à Deo? Vnde necessariò deberet esse aliquid creatum; præsertim cum inciperet esse realiter, & quidquid incipit realiter esse, necessariò realiter creatum sit. Deinde esse creatum, non ingreditur conceptum entis secundum se, sed entis creati tantum: & dum petimus, an Genus possit immediatè individuari; quærimus an Genus entis creati possit immediatè individuari, sic ut ipsa creatio simul concurrat.

DISPUTATIO QUARTA

De Specie.

DUBIUM I.

Quotupliciter accipitur Species, & quomplex sit.

RESOLUTIO I.

ccccxxix. **D**ico 1^o. prætermisiss variis Speciei acceptionibus, tam grammaticalibus, quam Philosophicis: Species accipitur 1^o Philosophicè, prout est correlativum Generis: cujus Porphyrius tres adfert definitiones, quæ vix aut nihil differunt; nec explicant naturam Speciei,

ut prædicabilis; sed ut est inferius quoddam Generis.

ccccxxx. Prima, Species est quæ sub assignato (id est, capite 2^o definito) Genere collocatur. Secunda, Species est id quod subijcitur Generi. Tertia, Species est de qua Genus hoc ipso quid est prædicatur. Ly Univerſale subauditum sub relativis quæ, quod, est Genus definiti; per quod excludit individuum; cætera tenent locum Differentiæ, per quæ excludit Differentiam; quia illa, nec sub Genere collocatur; nec ei subijcitur, puta in recta linea prædicamentali; nec Genus de illa hoc ipso quid est, prædicatur. Quod verò Univerſale sit Genus definiti in allatis definitionibus, patet,